Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1633
Quelle:
Copyright:

211. 4. non una manu perſcriptus, et rubricis diſtinctus compilatus eſt e variis Tractatibus, quorum I. *Albertani* Judicis et Cauſſidici *Brixienſis Doctrina dicendi et tacendi* ad unum e tribus Filiis *Stephanum* nomine intra annos 1241—45. exarata, a nobis pluries relata, et olim prelo ſaepius ſubjecta, ut multis *Mazzuchellius in Scritt. d' Italia Vol.* I. P. 1. p. 294. Initium: *Cum in dicendo multi errant, nec eſt aliquis* &c.

II. *fol.* 8. p. 2. ſequitur alterum Ejusdem Opuſculum ad alterum Filium *Johannem* Chirurgicen profeſſum hoc Rubro: *Liber conſolationis et conſilij qui liber ſpecialiter intitulatur Mellibeus.* Hiſtorico nempe Schemate utitur *Albertanus* inducens *Meliboeum* ob Uxorem et Filiam ab Inimicis vulneratam graviſſime adflictum, ſed ſuſcepta conſolatione, auditisque conſiliis pacatum, demumque inimicis ipſis reconciliatum. Initium eſt: *Quoniam multi in aduerſitatibus et in tribulacionibus taliter affliguntur et deprimuntur, quod cum in ſe propter animi perturbacionem nec conſilium nec conſolacionem habeant* &c. Scriptum eſt, ut variant Codices, a. 1246. vel 48.

III. *fol.* 38. p. 2. tertium Ejusdem opuſculum ad tertium Filium *Vincentium*, ſeu *Liber de amore et dilectione dei et proximi et aliarum rerum et de forma vite.* Ejus initium: *Inicium mei tractatus ſit a nomine domini a quo cuncta bona procedunt et a quo eſt omne datum optimum et omne donum perfectum deſcendens a patre luminum. Quanto amore quantaque dilectione mea paterna Caritas tuam diligat filialem ſubiectionem* &c. Ad calcem: *Explicit — quem albertanus cauſidicus brixien. de hora* (de *ora*, al. de *Contrata*, al. *Eccleſiae*) *ſancte Agathe* (quae e primis eſt *Brixiae* Paroeciis) *compoſuit ac ſcripſit cum eſſet in carcere Domini principis fredrici* (Imp. II.) *in ciuitate cremone in quo poſitus fuit cum eſſet capitaneus gauardi ad defendendum locum ad vtilitatem communitatis brixien. Anno Domini M°. CCC°. VIII°.* (lege CCXXXVIII.) *Menſe Auguſti in die ſancti Allexandri* (inter plures, qui hoc menſe coluntur, Militem *Thebaeum* credo 26. cultum *Bergomi*) *quo obſidebatur civitas brixie per eundem imperatorem Indict.* XI. Vel ex hac Indictione probatur lapſus Librarii in anno; anno enim 1308. Indictio VI. reſpondet. *Mazzuchellius l. cit.* innuere videtur, utrumque hunc Libellum plenum morali fruge, autorum ſacrorum et profanorum ſententiis illuſtratum, in *Capita* diviſum, et in quo nihil praeter linguam puriorem deſideres, juxta cum primo typis proditum fuiſſe; ego vero latinos ἀνεκδότους habeo. Italice dudum verſi *Florentiae* 1610. 4. impreſſi ſunt, ut pluribus *cit.* Autor.

IV. *fol.* 93. ſuccedunt Sermones bini Ejusdem *Albertani* e quinis illis, qui *Mazzuchellio* teſte in Codd. *Regio Pariſ.* et *Vaticano* ſervantur. Prior inſcribitur: *Hic eſt ſermo quem albertanus cauſidicus brixien. compoſuit et edidit*